05
A
1322

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0002-0

Q. D. B. V.

# DISSERTATIO JURIDICA

De

# ΑΝΤΙΛΟΓΙΑΙΣ ΦΑΙΝΟΜΕΝΩΣ SIC DICTIS,

*Quam*

Magnifici JCtorum Ordinis
conſenſu

*Publicè defendent*

PRÆSES

FRANCISCUS Mühlman̄/
J. U. L.

&

*RESPONDENS*

CHRISTIANUS JAUCHIUS
Torgâ Miſnicus.

*Die 14. Mart. in Auditorio JCtorum.*

WITTEBERGÆ Typis Johannis Haken, 1668.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0003-6

UNIV.-U. LANDESBIBLIOTHEK * HALLE (SAALE)

05 A 1322

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0004-1

I. N. J.

# THESES MISCELLANEÆ EX DIVERSIS JURIBUS EXCERPTÆ, QUARUM PATROCINIUM AB UTRAQUE PARTE SUSCIPIMUS.

I.

JUS Publicum, ex iisdem præceptis, quibus privatum, eſt collectum.

II.

Jus Publicum, non ex iisdem præceptis, quibus Privatum, eſt collectum.

III.

Jus N. brutis animalibus nè quidem impropriè competit.

IV.

Jus N. brutis animalibus propriè competit.

V.

Meri Imperii vis ad beſtias minimè gentiū extendenda.

VI.

Meri Imperii vis ad beſtias utique extenditur.

VII.

Dictatoribus non competiit Majeſtas.

VIII.

Dictatoribus competiit Majeſtas.

IX.

Princeps legibus omnibus ſolutus eſt.

X.

Princeps nullis legibus ſolutus eſt.

XI.

Non datur æquitas ſcripta.

XII.

Utiq; datur æquitas ſcripta.

XIII.

Adoptatus à patre nobili fit nobilis.

XIV.

Adoptatus à patre nobili non fit nobilis.

XV.

Tutoris datio eſt Jurisdictionis.

XVI.

Tutoris datio non eſt Jurisdictionis.

XVII.

Princeps concedens alicui merum imperium, non ipſū

XVIII.

Princeps concedens alicui merum imperium, non ex-

imperiũ ſed ejus ſaltim exercitium conceſſiſſe videtur.

XIX.

Sibi ipſi Jus dicere nemo poteſt.

XXI.

Libellus poſt litis conteſt: mutari non poteſt.

XXIII.

Pactum nudum non producit actionem.

XXV.

De viventis hereditate paciſci non licet.

XXVII.

Fœminæ non poſſunt poſtulare.

XXIX.

Fallaciis ac deceptionibus Advocatus non debet uti.

XXXI.

Advocato in propria cauſa condemnato in expenſas, ſalarium exigere non licet ab adverſario.

XXXIII.

Advocati error clienti nocet.

XXXV.

Relegatus infamia notatur.

XXXVII.

Minores 17. ann procuratores ad litem eſſe poſſunt.

exercitium tantum, ſed ipſum Imperium conceſſiſſe cenſetur.

XX.

Sibi ipſi Jus dicere quilibet poteſt.

XXII.

Libellus poſt L. C. mutari poteſt.

XXIV.

Pactum nudum producit actionem.

XXVI.

De viventis hereditate paciſci licet.

XXVIII.

Fœminæ poſſunt poſtulare.

XXX.

Fallaciis ac deceptionibus Advocatus rectè utitur.

XXXII.

Advocato in propria cauſa condemnato in expenſas, ſalarium exigere ab adverſario utique licet.

XXXIV.

Advocati error clienti non nocet.

XXXVI.

Relegatus infamia non notatur.

XXXVIII.

Minores 17. annis procuratores ad litem eſſe haud poſſunt.

XXXIX. Falſi

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0006-3

XXXIX.

Falſi procuratoris admiſſi ſententia domini ratihabitione convalidari non poteſt.

XL.

Falſi procuratoris admiſſi ſententia domini ratihabitione convalidari poteſt.

XLI.

Quod vi & metu licet juſto promiſſum eſt, ipſo tamen jure ſubſiſtit.

XLII.

Quod vi & juſto metu promiſſum eſt, ipſo Jure non ſubſiſtit.

XLIII.

Doctor aut Licentiatus minor læſus, reſtitutionis beneficio uti non poteſt.

XLIV.

Doctor aut Licentiatus minor læſus, reſtitutionis beneficio uti poteſt.

XLV.

Ad accuſandum a. agendum nemo invitus cogitur.

XLVI.

Ad accuſandum a. agendum etiam inviti coguntur.

XLVII.

Compromittens in arbitrum, ad judicem ante ſententiam recurrere non poteſt.

XLVIII.

Compromittens in arbitrum ad judicem ante ſententiam recurrere poteſt.

XLIX.

Cœcus judex eſſe poteſt.

L.

Cœcus judex eſſe non poteſt.

LI.

Ubi quis contraxit modo in loco contractus reperiatur ibi ſortitur forum.

LII.

Ubi quis contraxit licet non ibi reperiatur, tamen ſortitur forum.

LIII.

In loco ubi quis deliquerit, modo ibi deprehenſus fuerit, forum ſortitur.

LIV.

In loco ubi quis deliquerit, quamvis ibi deprehenſus non fuerit, tamen ſortitur forum.

LV.

Hereditas eſt ſucceſſio.

LVI.

Hereditas non eſt ſucceſſio.

LVII.

M. f. p. & uſuras ratione pecuniæ in hereditate inventæ, præſtare tenetur.

LVIII.

M. f. p. Uſuras nè quidem ratione pecuniæ in hereditate niventæ præſtare tenetur.

LIX.

Servitus eſt Jus.

LX.

Servitus non eſt Jus.

LXI.

Veſtimenta ad qs. uſumfr. ſpectant.

LXII.

Veſtimenta non ad qs. uſumfr. ſpectant.

LXIII.

Servitutes neque in bonis nec extra bona ſunt.

LXIV.

Servitutes utique in bonis ſunt.

LXV.

Actio de pauperie ſi animal nocivum quis receperit, datur.

LXVI.

Actio de pauperie etiãſi quis animal nocivũ receperit, tamen non datur.

LXVII.

Conſenſus ad contractũ mutui ſummè requiritur.

LXVIII.

Conſenſus ad contractum mutui non requiritur.

LXIX.

Non eſt neceſſum pecuniam mutuo datam, in Civitatis utilitatem verſam eſſe probare.

LXX.

Utique neceſſum eſt pecuniam mutuò datam, in Civitatis utilitatem eſſe verſam probare.

LXXI.

Domino cujus res à non domino mutuo datæ ſunt datur R. V.

LXXII.

Domino cujus res à non domino mutuo datæ ſunt non datur R. V.

LXXIII.

Quod ob turpem cauſam datum eſt repeti poteſt.

LXXIV.

Quod ob turpem cauſam datum eſt, repeti non poteſt.

LXXV.

Commodatum & in rebus alienis conſiſtere poteſt.

LXXVI.

Commodatum in rebus alienis conſiſtere nequit.

LXXVII.

Ex aliorum contractibus nonnunquam obligamur.

LXXVIII.

Ex aliorum contractibus planè non obligamur.

LXXIX.

Propter jactum ſervandarum mercium gratia & is confer-

LXXX.

Propter jactum ſervandarum mercium gratia, is conferre

non

re tenetur, cujus res in navi deteriores factæ ſunt.

LXXXI.

Inſtitor directa actione pro lubitu creditoris, etiam finito officio conveniri poteſt.

LXXXIII.

Adventitii peculii uſusfr: ad patrem ſpectat.

LXXXV.

Mulier pro marito intercedens etiamſi juraverit, non tamen obligatur.

LXXXVII.

Actio ex depoſito in ſimplū competit.

LXXXIX.

Socius debitorem ſocii non poteſt convenire.

XCI.

A contractu emtionis venditionis recedere & pœnitere licet.

XCIII.

Jus accreſcendi in contractibus non habet locum.

XCV.

Locator & conductor quis ſimul eſſe poteſt.

XCVII.

In donationibus evictionis præſtatio exigi poteſt.

XCIX.

Uſuræ licet non promiſſæ debentur.

non tenetur, cujus res in navi deteriores ſunt factæ.

LXXXII.

Inſtitor directa actione pro lubitu creditoris, finito officio conveniri nequit.

LXXXIV.

Adventitii peculii uſusfr: ad patrem planè non ſpectat.

LXXXVI.

Mulier pro marito intercedens ſi juraverit, obligatur.

LXXXIIX.

Actio ex depoſito non in ſimplum competit.

XC.

Socius debitorem ſocii convenire poteſt.

XCII.

A contractu emtionis venditionis recedere & pœnitere non licet.

XCIV.

Jus accreſcendi in contractibus habet locum.

XCVI.

Locator & conductor quis ſimul eſſe non poteſt.

XCVIII.

In donationibus evictionis præſtatio exigi haud poteſt.

C.

Uſuræ niſi promiſſæ non debentur.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0009-3

CI.

Scriptura privata contra ſcribentem non pro illo probat.

CII.

Scriptura privata & pro illo probat.

CIII.

Proxeneta non poteſt eſſe teſtis.

CIV.

Proxeneta poteſt eſſe teſtis.

CV.

Perſona de univerſitate in cauſa univerſitatis poteſt eſſe teſtis.

CVI.

Perſona de univerſitate in cauſa univerſitatis non poteſt eſſe teſtis.

CVII.

Juris ignorantia nocet.

CIIX.

Juris ignorantia non nocet.

CIX.

Ignorantia facti non prodeſt.

CX.

Ignorantia facti prodeſt.

CXI.

Sponſalia ſub conditione inita ſi unus contrahentium pendente conditione, illam remittat, alter etiam obligatur, non aliter ac ſi initio purè inita fuiſſent.

CXII.

Sponſalia ſub conditione inita ſi unus contrahentium illam remiſerit, alter exinde non obligatur &c.

CXIII.

Impoſſibilis conditio ſponſalibus adjecta, pro non addita habetur.

CXIV.

Impoſſibilis conditio ſponſalibus adjecta, vitiat illa.

CXV.

A Sponſalibus recedere licitum eſt.

CXVI.

A ſponſalibus recedere non eſt licitum.

CXVII.

Dominium in dote æſtimatò data ad maritum tranſit.

CXIIX.

Dominium in dote æſtimatò data ad maritum non tranſit.

CXIX.

Donatio inter maritum & uxorem regulariter prohibita.

CXX.

Donatio inter maritum & uxorem licita regulariter.

CXXI.

Gerada marito ab uxore donari non poteſt.

CXXII.

Gerada marito ab uxore donari poteſt.

CXXIII.

Donatio propter nuptias in pactis dotalibus conſtituta, nō eget inſinuatione.

CXXIV.

Donatio propter nuptias in pactis dotalibus conſtitita, inſinuatione eget.

CXXV.

Inceſtuoſi & adulterini à parentibus non ſunt alendi.

CXXVI.

Inceſtuoſi & adulterini à parentibus ſunt alendi.

CXXVII.

Tutor ſub conditione & die recte datur.

CXXVIII.

Tutor ſub conditione & die dari nequit.

CXXIX.

Tutor teſtamento non recte datus à patre, citra inquiſitionem à Magiſtratu confirmandus eſt.

CXXX.

Tutor teſtamento non recte datus à patre, cum inquiſitione à Magiſtratu confirmandus eſt.

CXXXI.

Pupillus ſine autoritate tutoris in rebus lucrativis ad agendum habilis.

CXXXII.

Pupillus ſine autoritate tutoris in rebus lucrativis non eſt habilis ad agendum.

CXXXIII.

Teſtamentaria tutela reliquis omnibus præfertur.

CXXXIV.

Teſtamentaria tutela nō præfertur.

CXXXV.

Minoribus invitis curator nō obtruditur.

CXXXVI.

Minoribus invitis curator utique obtruditur.

CXXXVII.

Tutoris heredes etiam de levi culpa tenentur.

CXXXVIII.

Tutoris heredes non tenentur de levi culpa.

CXXXIX.

Fidejuſſoribus minorum beneficium reſtitutionis in integrum non competit.

CXL.

Fidejuſſoribus minorum cōpetit beneficium reſtitutionis in integrum.

CXLI.

Propricidæ teſtari non poſſunt.

CXLII.

Propricidæ teſtari poſſunt.

CXLIII.

In teſtamento publica fide

CXLIV.

In teſtamento publica fide

condito, deſideratur, ut ipſe teſtator hoc offerat.

condito non deſideratur, ut teſtator ipſe illud offerat.

CXLV.

Jure Novo emancipatus præteritus ipſo jure teſtamentum nullum facit.

CXLVI.

Jure Novo ſi emancipatus præteritus teſtamentum ſubſiſtit.

CXLVII.

Si poſthumus non inſtitutus ſit heres in teſtamento, licet vivo teſtatore iterum deceſſerit, tamen non convaleſcit teſtamentum.

CXLVIII.

Licet poſthumus non inſtitutus ſit heres, ſi tamen vivo teſtatore iterum deceſſerit, teſtamentum convaleſcit.

CXLIX.

Teſtamentum juramento cõfirmatum licitè revocari poteſt.

CL.

Teſtamentum juramento cõfirmatum non licite revocari poteſt.

CLI.

Teſtamentum prius ſolenne factum non rumpitur per poſteri9 minus ſolenne.

CLII.

Teſtamentum prius ſolenne factum, utique rumpitur, per poſterius minus ſolenne.

CLIII.

Nudis verbis ſ. contraria voluntate non revocatur prius jure factum teſtamentum.

CLIV.

Nudis verbis ſ. contraria voluntate revocatur prius jure factum teſtamentum.

CLV.

In dubio ubi ſigilla teſtamenti remota, aut linum inciſum à teſtatore, id conſulto factum eſſe præſumitur.

CLVI.

In dubio ubi ſigilla teſtamenti remota, aut linum inciſum à teſtatore, non conſulto id factum eſſe præſumitur.

CLVII.

Filiofam. herede inſtituto eique ſubſtituto dato, in caſu ſi repudiaverit non pater, ſed ſubſtitutus ſuccedit.

CLVIII.

Filiofam herede inſtituto ei ſubſtituto dato, in caſu ſi repudiaverit, non ſubſtitut9, ſed pater ſuccedit.

CLIX.

Filius patris ſui, ut ſervus do-

CLX.

Flius patris ſui, ut ſervus domini

mini heres neceſſarius eſt.

CLXI.

Res quæ tempore teſtamenti jam propria legatarii, inutiliter ipſi legatur.

CLXIII.

Querela in officioſi totum teſtamentum reſcindit.

CLXV.

Heres ex certo tempore inſtitui non poteſt.

CLXVII.

Fideicommiſſarius heres, etiamſi hereditatem reſtituerit, rectè nihilominus convenitur.

CLXIX.

Legatarius ſine onere legatum accipit.

CLXXI.

Legatum creditori relictum cum debito compenſandum.

CLXXIII.

Univerſitas recte legatur.

CLXXV.

Legatum rei alienæ ſi ſciverit alienum, valet.

CLXXVII.

Heres legatario & leviſſimam culpam præſtare tenetur.

CLXXIX.

Legatum, anniverſarium

mini, ratione aditionis) heres neceſſarius non eſt.

CLXII.

Res quæ tempore teſtamenti jam propria legatarii, utiliter ipſi legatur.

CLXIV.

Querela in officioſi non totum teſtamentum reſcindit.

CLXVI.

Heres ex certo tempore inſtitui poteſt.

CLXVIII.

Fideicommiſſarius heres, ſi reſtitu erit hereditatem, minus recte convenitur.

CLXX.

Legatarius cum onere legatum accipit.

CLXXII.

Legatum creditori relictum cum debito haud compenſandum.

CLXXIV.

Univerſitas minus rectè legatur.

CLXXVI.

Legatum rei, etiamſi ignoraverit, tamen valet.

CLXXVIII.

Heres legatario nè quidem levem præſtare tenetur culpam.

CLXXX.

Legatum anniverſarium ab

ab heredibus legatarii peti poteſt.

CLXXXI.

Legatum incerto die relictum conditionale eſt, nec ad heredes legatarii tranſit.

CLXXXIII.

Ab heredis herede fideicommiſſum relinqui poteſt.

CLXXXV.

Prælegata & præceptiones in reſtitutionem fideicommiſſi veniunt.

CLXXXVII.

Filius fideicommiſſo gravatus duas deducere poteſt quartas.

CLXXXIX.

Deducta quarta à fiduciario, inter eum & heredem ſcindũtur actiones.

CXCI.

Operis novi nunciatio ob ſervitutem quamcunque locum habet.

CXCIII.

Secundum decretum Civile dominium non tribuit.

CXCV.

Univerſa bona etiam futura donari poſſunt.

CXCVII.

Donationibus in officioſis pro rata omnibus quid detrahitur.

heredibus legatarii peti non poteſt.

CLXXXII.

Legatum incerto die relictũ, ad heredes legatorii tranſit.

CLXXXIV.

Ab heredis herede fideicommiſſum relinqui non poteſt.

CLXXXVI.

Prælegata & præceptiones in reſtitutionem fidei commiſſi non veniunt.

CLXXXIIX.

Filius fideicommiſſo gravatus duas deducere quartas non poteſt.

CXC.

Deducta quarta à fiduciario inter eum & heredem non ſcinduntur actiones.

CXCII.

Operis novi nunciatio, non ob quamcunque ſervitutem locum habet.

CXCIV.

Secundum Decretum Civile dominium tribuit.

CXCVI.

Futura bona donari non poſſunt.

CXCVIII.

Donationibus in officioſis non omnibus pro rata quid detrahitur.

CXCIX. Ob

CXCIX.

Ob ingratitudinem donata revocantur.

CC.

Ob ingratitudinem donata nō revocantur.

CCI.

Mortis cauſa donationes in omnibus legatis cōparatæ ſunt.

CCII.

Mortis cauſa donationes in nullis legatis ſunt comparatæ.

CCIII.

Donatio mortis cauſa non indiget inſinuatione judiciali.

CCIV.

Donatio mortis cauſa utique indiget inſinuatione judiciali.

CCV.

Jus alluvionis multum conducit.

CCVI.

Jus alluvionis nihil planè conducit.

CCVII.

Qui ſciens in alieno ſolo ſua materia ædificat, non habet R. V.

CCVIII.

Sciens in alieno ſolo, ſua materia ædificans habet R. V.

CCIX.

Uſufructuarius non habet dominium.

CCX.

Uſufructuarius habet dominium.

CCXI.

Theſaurus in loco religioſo caſu inventus, inventoris tantum fit.

CCXII.

Theſaurus in loco religioſo caſu inventus, dividendus inter fiſcum & inventorem.

CCXIII.

Uſufructuarius nè naturaliter quidem rem detinet.

CCXIV.

Uſufructuarius utique rem naturaliter detinet.

CCXV.

Duo in ſolidum eandem rem poſſidere nequeunt.

CCXVI.

Duo in ſolidum unam eandemque rem poſſidere poſſunt.

CCXVII.

Rerum in corporalium nulla poſſesſio eſt.

CCXVIII.

Rerum in corporalium poſſesſio datur.

CCXIX.

Poſſeſſio, etiamſi animus deſit, tamen retinetur.

CCXX.

Posſesſio deficiente animo neutiquam retinetur.

CCXXI.

Rei mobilis ſurreptæ poſſesſionem amittimus.

CCXXIII.

Per quos posſidemus ſi deceſſerint poſſesſionem amittimus.

CCXXV.

Præſcriptio & Uſucapio hodiè conveniunt.

CCXXVII.

Partus furtivæ ancillæ uſucapi ab eo, qui illam b. f. habet, haud poteſt.

CCXXIX.

Bona vacantia uſucapioni exemta ſunt.

CCXXXI.

Mala fides impedit uſucapionem.

CCXXXIII.

Dubitans uſucapere non poteſt.

CCXXXV.

Succeſſor, licet anteceſſor in m. f. fuit, de novo, modo in bona fide conſtitutus ſit, uſucapionem incipere poteſt.

CCXXXVII.

Lata à judice ſententia definitiva, ſtatim res judicata eſt.

CCXXXIX.

Res inter alios judicata aliis non nocet.

CCXXII.

Rei mobilis ſurreptæ poſſeſſionem non amittimus.

CCXXIV.

Per quos posſidemus licet deceſſerint, exindè tamen non amittimus poſſesſionem.

CCXXVI.

Præſcriptio & Uſucapio planè non conveniunt.

CCXXVIII.

Partus furtivæ ancillæ ab eo, qui illam b. f. habet, uſucapi poteſt.

CCXXX.

Bona vacantia uſucapioni certè obnoxia.

CCXXXII.

Mala fides non impedit uſucapionem.

CCXXXIV.

Dubitans uſucapere poteſt.

CCXXXVI.

Succeſſor, ſi anteceſſor in m. f. fuit, uſucapionem de novo incipere planè non poteſt.

CCXXXVIII.

Lata à judice ſententia definitiva, non ſtatim res judicata eſt.

CCXL.

Res inter alios judicata nocet aliis.

CCXLI. Con-

CCXLI.

Confeſſio eſt inſtar rei judicatæ.

CCXLIII.

Actor in univerſa bona mittitur.

CCXLV.

Iſti res addicenda qui licitatione vicerit.

CCXLVII.

Uſura ſorti ſtatim jungitur, ac aliis debitoribus cum ipſa præfertur.

CCXLIX.

Solutum uni ex creditoribus tempore, quo debitor deſinit eſſe ſolvendo, repeti non poteſt.

CCLI.

Contra dominum, manifeſtum prædonem rurſus dejicientem, interdictum unde vi etiam datur.

CCLIII.

Legatarius legati poſſeſſionē ipſe occupans, omni ſuo cadit jure.

CCLV.

Dilatoriæ exceptiones ante litem conteſtatam opponendæ ſunt.

CCLVII.

Alternativa ſtipulatio procedit.

CCLIX.

Impoſſibilis conditio nunquā,

CCXLII.

Confeſſio inſtar rei judicatæ non eſt.

CCXLIV.

Actor non in univerſa bona mittitur.

CCXLVI.

Non iſti res addicenda, qui licitatione vicerit.

CCXLVIII.

Uſura ſorti non jungitur, nec aliis debitoribus cum ipſa ſorte præfertur.

CCL.

Solutum uni ex creditoribus, tempore quo debitor deſinit eſſe ſolvendo, repeti poteſt.

CCLII.

Contra dominum, manifeſtum prædonem rurſus dejicientem, interdictum unde vi non datur.

CCLIV.

Legatarius, legati poſſeſſionem ipſe occupans, jure ſuo non privatur.

CCLVI.

Dilatoriæ exceptiones etiam poſt litem conteſtatam opponi poſſunt.

CCLVIII.

Alternativa ſtipulatio nō procedit.

CCLX.

Impoſſibilis conditio ſemper

vali-

validam producit ſtipulationem.

validam producit.

CCLXI.

Unus ex correis promittendi, ſolidum ſolvens, partem à correo petere poteſt.

CCLXII.

Unus ex correis promittendi, ſolidum ſolvens, partem à correo petere non poteſt.

CCLXIII.

In Criminalibus fidejuſſores non admittuntur.

CCLXIV.

In Criminalibus fidejuſſores admittuntur.

CCLXV.

Fidejuſſor ſi in plus ſe obligaverit, quam debitum principale erat, non poteſt conveniri.

CCLXVI.

Fidejuſſor ſi in plus ſe obligaverit, quam debitum principale erat, conveniri poteſt.

CCLXVII.

Conatus ad delictum perpetrandum directus, in foro Civili non puniendus.

CCLXVIII.

Conatus ad delictum perpetrandum directus, in foro Civili utique puniendus eſt.

CCLXIX.

Conſilium ſuggerens ad delinquendum, in eodem cum actuali delinquente, eſt prædicamento.

CCLXX.

Conſilium ad delinquendum ſuggerens, non in eodem cũ actuali delinquente eſt prædicamento.

CCLXXI.

Crimen & pœna morte rei extingvuntur.

CCLXXII.

Crimen & pœna nec morte rei extingvuntur.

CCLXXIII.

Et in Principes crimen læſæ Majeſtatis committitur.

CCLXXIV.

Non committitur crimen læſæ Majeſtatis in Principes.

CCLXXV.

In eam quæ pudicitiam proſtituit, non committitur adulterium.

CCLXXVI.

In eam quæ pudicitiam proſtituit, committitur adulterium.

CCLXXVII.

Ab interlocutoria non poſſunt appellari.

CCLXXVIII.

Ab interlocutoria poteſt appellari.

CCLXXIX. Sen-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0018-0

CCLXXIX.

Sententiam in judicio appellatorio latam, judex appellationis exſequitur.

CCLXXX.

Sententiam in judicio appellatorio latam non judex appellationis exſequitur.

CCLXXXI.

Novum feudum Jure veteris feudi à domino cōcedi poteſt.

GCLXXXII.

Novum feudum Jure veteris feudi à domino cōcedi nequit.

CCLXXXIII.

Feudum ob feloniam ſemel amiſſum, ſi forte reſtitutum fuerit, fit novum.

CCLXXXIV.

Feudum ob feloniam amiſſum ſi reſtituitur, non fit novum, ſed manet antiqvum.

CCLXXXV.

In feudo improprio eſſentialia omitti poſſunt.

CCLXXXVI.

In feudo improprio eſſentialia non poſſunt omitti.

CCLXXXVII.

Fœmina nil quod eſt jurisdictionis peragere poteſt.

CCLXXXVIII.

Fœmina & ea quæ jurisdictionis ſunt peragere poteſt.

CCLXXXIX.

Filius familias feudum dare nequit.

CCXC.

Filiusfam. feudum dare utique poteſt.

CCXCI.

Pontifex Rom. quin feuda dare valeat, nemo ſine quodam ſacrilegio inficias ire poteſt.

CCXCII.

Pontifex feuda dare non valet.

CCXCIII.

Servo feudum dato, ſtatim liber fit.

CCXCIV.

Licet ſervo feudum datum, liber tamen non fit.

CCXCV.

Res propriæ in feudum dari nequeunt.

CCXCVI.

Res propriæ in feudum dari poſſunt.

CCXCVII.

In mobilibus rebus feudum conſtitui non poteſt.

CCXCIX.

Et in mobilibus rebus feudum conſtitui poteſt.

CCXCIX.

Deſcendentes omnes pari jure in feudo ſuccedunt.

CCC.

Deſcendentes pari jure in feudo non ſuccedunt.

CCCI.

Exheredatus ex juſta cauſa nihilominus in feudo ſuccedit.

CCCII.

Exheredatus ex juſta cauſa plane non ſuccidit in feudo.

CCCIII.

Feudi ſucceſſor repudiata vaſalli hereditate, tamen feudum retinet.

CCCIV.

Feudi ſucceſſor repudiatâ vaſalli hereditate, non retinet feudum.

CCCV.

Inter vaſallos jus accreſcendi locum habet.

CCCVI.

Inter vaſallos jus accreſcendi non habet locum.

CCCVII.

In Civili cauſa vaſallus teſtimonium adverſus Seniorem dicere nequit.

CCCIIX.

In Civili cauſa Vaſallus teſtimonium adverſus Seniorem dicere poteſt.

CCCIX.

Vaſallus domino ſervitium militare & adverſus patrem ſuum præſtare tenetur.

CCCX.

Vaſallus domino ſervitiū militare adverſus patrem ſuum præſtare non tenetur.

CCCXII.

Reſoluto Jure vaſalli & ſubvaſalli quoque Jus extinctum cenſetur.

CCCXII.

Reſoluto Jure vaſalli, ſub vaſalli Jus extinctum non cenſetur.

CCCXIII.

Feudi diviſio licita.

CCCXIV.

Feudi diviſio non licita eſt.

CCCXV.

Feudum ex delicto amiſſum ad dominum rurſus devolvitur.

CCCXVI.

Feudum ex delicto amiſſum ad dominum non devolvitur.

CCCXVII.

Clauſula ſi preces veritate nitantur, Reſcriptis neceſſario addenda eſt.

CCCXIIX.

Clauſula ſi preces veritate nitantur, Reſcriptis non eſt neceſſario addenda.

CCCXIX.

Princeps privilegia ſemel

CCCXX.

Princeps privilegia ſemel con-

conceſſa revocare non poteſt.

CCCXXI.

In dubio quilibet præſumitur bonus.

CCCXXIII.

Clericus poſt renunciationẽ vel excommunicationem ordines recipiens in iſtis permanet.

CCCXXV.

Procurator alium ſubſtituere poteſt.

CCCXXVII.

Procuratorem revocare eſt licitum.

CCCXXIX.

Judex arbitrium recipere poteſt.

CCCXXXI.

Jus jurandum in cauſa criminali deferri poteſt.

CCCXXXIII.

Dilatio probatoria regulariter ſemel tantùm datur.

CCCXXXV.

Uſusfr. extincta perſona regulariter extingvitur.

CCCXXXVII.

Mulier non poteſt eſſe teſtis in teſtamento.

CCCXXXIX.

Decimæ miniſtris Eccleſiæ exſolvendæ ſunt.

conceſſa utique revocare poteſt.

CCCXXII.

In dubio nemo præſumitur bonus.

CCCXXIV.

Clericus poſt renunciationem vel ex communicationé ordines recipiens in iſtis non permanet.

CCCXXVI.

Procurator alium ſubſtituere non poteſt.

CCCXXVIII.

Procuratorem revocare non eſt licitum.

CCCXXX.

Judex arbitrium recipere non poteſt.

CCCXXXII.

Jus jurandum in cauſa criminali deferri non poteſt.

CCCXXXIV.

Dilatio probatoria bina ſ. trina vice regulariter datur.

CCCXXXVI.

Uſusfr. extincta perſona regulariter ad heredes tranſit.

CCCXXXIIX.

Mulier in teſtamento poteſt eſſe teſtis.

CCCXL.

Decimæ miniſtris Eccleſiæ nõ ſunt ex ſolvendæ.

CCCXLI.

CCCXLI.

Bina qui celebravit ſponſalia primam ſumere tenetur.

CCCXLII.

Bina qui celebravit ſponſalia ſecundam ſumere tenetur.

CCCXLIII.

Parentibus liberos ſuos occidentibus mortis pœna infertur.

CCCXLIV.

Parentibus liberos ſuos occidentibus, mortis pœna non infertur.

CCCXLV.

Criminis falſi pœna eſt capitalis.

CCCXLVI.

Criminis falſi pœna non eſt capitalis.

CCCXLVII.

Homicidii pœna ſimpliciter eſt ultimum ſupplicium.

CCCXLIIX.

Homicidii pœna plane non eſt ultimum ſupplicium.

# Tantùm.

*SUnt juris leges concordis vincula cœtus;*
*Hæ ſi non fuerint, qui ſtatus orbis erit?*
*Queîs cum intendas animū, doctiſſime JAUCHI,*
Dictio *non* contra *vera tibi dabitur.*
*Macte tuis meritos virtutibus addet honores*
*Cura Themis, nulli quos minuére dies.*

PRÆSES.

*PEr caſus varios per tot diſcrimina rerum,*
*Muſarum culmen, ſcandere jure licet.*
*Sic meritò juris cathedram conſcendere tentas,*
*Conatuque tuo, clara trophæa capis.*
*Gratulor ergò tibi: Succeſſus, Numen in alto,*
*Proſperitate beet, Frater amande, precor.*

Sic fratri germano
gratulabatur

G. J. Torg. LL. Stud.

*SUrgit honor ſtudiis, ut Mars clareſcit anhelus,*
*Sic ars nobilitat, ſurgit honor ſtudiis.*
*Surgit honor ſtudiis, Pandectis, Codice Juris,*
*Vel quoque Primitiis ſurgit honor ſtudiis.*

*Hinc*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0023-7

*Hinc honor ex animo precor ut tentamine ſurgat,*
*Optatum votum! fac DEUS alme ratum.*

Paucula hæc licet inamœna, Camœnâ, pro benevoli tamen affectus teſſera & cognationis ergo lubens apponere ut debuit voluit

*Daniel Godofredus Jauchius,*
*Miſen. Misn. LL. Stud.*

*MActe Diem ſtudiis ponendo! Præmia larga*
*Perpetuò Themidis præbuit ampla manus.*

Patrueli amantiſſ. adſcribebat

*Sigismundus Richardus Jauchius,*
*Miſnenſis. LL. Stud.*

EN! quoniam juris, mi JAUCHI! pulpita ſcandis,
Et monſtras doctè, quæ malefacta cluant.
Hac ratione tibi laboranti præmia magna
Agmen Muſarum fert, ego plura precor.

*Hæc pauca amico ſuo nunquam intermorituro gratulab. adjecit hoſpes*

Godfriedt Müller,
Dreſd.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0024-2

05 A 1322

ULB Halle 3
003 780 953

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0025-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-612159-p0026-4

3

B. V.

# D JURIDICA

ΟΓΙΑΙΣ

ΝΩΣ SIC

TIS,

m

orum Ordinis

nſu

fendent

SES

CUS Küßlman/

L.

DENS

IS JAUCHIUS

iſnicus.

ditorio JCtorum.

Johannis Haken, 1668.